



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IV. Quia est Domina universæ naturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

casum. Et *Gerfon orat. habitâ in Concil. Constant.* Adeunda est Virgo gloriosissima, quæ sui nominis interpretatione tam Illuminata quàm Illuminatrix dicitur. Et quo lumine? prorsus lumine gratiæ, quo sic illuminata est ut dicatur in Apoc. *Mulier amica sole.* S. Thom. *Villanova conc. 1. de Annunt.* Tolle solem quid est in mundo nisi tenebræ, tolle Mariam ab Ecclesia quid restat nisi caligo? *Epiph. serm. de laud. Virg.* Præclaræ Puellæ beatum nomen interpretatur Illustrata, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitate illustravit. *Bonav. in spec.* Ipsa est cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo, ipsa est Lucerna Ecclesiæ à Deo illuminata ad hoc, ut per ipsam à tenebris mundi illuminetur Ecclesia. Quod ante illum expressit S. *Ephrem de laud. Virg.* dum eam sic veneratur: Ave clarissima Pharas, tu Portus naufragantium tutissimus, ave Lumen lucidissimum. Et tota Ecclesia de illa dicit: *Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus gloriosa vita lucem dedit sæculo.* In quod recidunt quæ dixit S. *Odilo hymno de Nativ. B.V.* Sidus inclyum illuminans omne sæculum, *Jdiot. p. 14, cap. 14.* Luna nostra in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die.

4. Quia est Domina universæ naturæ.

S. *Joan. Damasc. Men. 10. Januarij ode 9.* sic Virgini canit: Quæ procreâsti rerum conditarum Authorem, jam super omnia quæ procreata sunt principatum exerces, incomparabili dignitatis fastigio pollens, quo tu omnem naturæ modum excedis. Et tota Ecclesia *Græca 29. Januarij.* Unica est Domina orbis terrarum. *Eadem Ecclesia ibidem in Men. 27. verbis S. Damasc. orat.* Quæ super omnes rerum creatarum divitias verissimo dominatu potiris, me præ gravi paupertate oppressum, gratiæ Divinæ largitionibus dignare. Et ideo fortè Apoc. 12. *Corona in capite ejus.* Dominij rationem dat *Damascenus orat. 2. de Assumpt.* Decet Matrem ea quæ sunt Filij possidere. Ob quod S. *Ephremus orat. de B. Virgine* Benedictam Dominarum Dominam purissimam vocat. Et S. *Antoninus 4. p. lit. 15. cap. 22, parag. 9.* Imperatricem, & Monarcham mundi. Etiam Dominium in nomine agnoscitur. *Chrysol. serm. 1403.* Maria Hebræo sermone latinè Domina nuncupatur: nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis, id est Christi Filij fecit, & impetravit auctoritas. Et S. *Thom. opus. 8.* Meritò Angelus reveretur B. Virginem quia Mater Domini, & ideo Domina est, undè convenit hoc ei nomen Maria, quod Syrà linguâ interpretatur Domina. S. *Remigius* hoc nomen non novit, qui meritum ei non exhibet famulatum. *Damasc. lib. 4. de fide cap. 15.* Verè rerum omnium Domina est, cum

cum Creatoris Mater extitit. *Damian. serm. de Nativ. Deip.* Fecit in te magna potens est, & data est tibi omnis potestas in caelo & in terra. *Ambros. lib. 1. de Virgine* alium affert titulum dominij. Adverte (inquies Virgo) quantum tibi Spiritus S. scripturae Divinae testificatione detulerit regnum, aurum, pulchritudinem: Regnum, quia Sponsa es Regis aeterni, Christus hoc sibi emit sanguine Dominium: Virgo vero ei hanc pecuniam sanguinis subministravit. Hinc legitur quod *Bernard. serm. 3. de uoninib. Virg.* Mater Domini effecta est Dominatrix omnis creaturae, quae Mater effecta est Creatoris, ideo merito dici potest ad quamlibet creaturam illud *Genes. 16. Revertere ad Dominam tuam, & humiliare faciem tuam ipsius*, quae verba dicta sunt Agar de Sara, quippe ipsa Virgo verè est Sara, quae interpretatur Princeps, quae verum genuit Isaac, id est Filium Dei. Sed cum jure naturali filius parentibus sit subjectus, hinc fit, ut quae habet Filium, ea sine parentum. Atque ita *Damasc. ait orat. de Assumpt.* Oportebat Dei Matrem ea quae Filij erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Dei Matrem adorari. Quamquam etiam semper ita comparatum est, ut haereditas à parentibus ad filios devoluatur; nunc autem (ut eruditi cujusdam viri verbis utar) sursum sacrorum fluminum fontes fluunt: etenim Filius Matri res omnes conditas in servitutum adduxit, hinc velut Dominus absolutus quicquid placet de nobis statuere potest. Et ut *Athanas. ait.* Sicut igitur cum ad Christum respicimus, Regem, Dominum, & Deum appellamus: ita quoque cum ad eam oculos rejicimus, Reginam, Dominam, ac Dei Matrem advertimus. Et *Anselm. lib. de excell. Virg. c. 4.* Ipse Spiritus Dei venit in eam, singularique gratia praeter omnibus quae creata sunt, sive in caelo, sive in terra, requievit, & Reginam, & Imperatricem caeli, & terrae, & omnium quae in eis sunt fecit Sponsam suam.

Antiquitatem hujus Virginalis dominij explicat *Anatolius Syrus in Cantico de Mariae Nativitate.* Quae ab aeterno praedestinata fuerat, ut Dei domicilium, Divinitusque sempiternae naturae Templum foret, haec universorum Regina jure salutarum. Quod profequitur *S. Anselm. de excell. Virg.* In aeternitate consilij sui statuit eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum. Et concludit *S. Anselm. in Epist. de SSma Domina nostra.* Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus & Deus: capropter & Mater quae eum genuit & Reginam, & Domina, & Deipara proprie, & verè censetur. Quod profiteri jubet *Nicetas* in ordine baptisandi Sarracenos ut dicant: Confiteor Matrem Dei, qui homo factus est Matrem, atque idcirco Dominam & Reginam omnis creaturae: Divina gratia affectam adoro, & veneror. *S. Germ. Constantinop. orat. de Nativ. Virg. sic Virg-*

nem salutat. Salve pulchritudinis Diadema, genere Regina; Regiisque ubique
 stipata prerogativis; Sceptrum David, Regium Indumentum, gratiarum Corona.
Joann. Domase. orat. 2. de Assumpt. B. V. ita precatur. Ac mihi velim ea propitia sit,
 quam laudanda suscepimus, quæ creata omnia superat, atque omnibus rebus
 conditis dominatur, velur Dei Mater. Extensionem Mariani dominij explicat
Rupert. in 4. Cant. illam ipsam alloquendo. Ita coronaberis ò Virgo ut in caelis
 Regina Sanctorum, & in terra sis Regina regnorum, & totum jure possideas Filij
 regnum. Et *S. Bonæ. spec. cap. 8.* universalem omnium Dominam fecit, Dominam
 inquam caeli & Dominam mundi. *Et antea. cap. 3.* dixerat. Postmodum Maria in-
 terpretatur Domina, hoc quoque optimè convenit tantæ Imperatrici, quia revera
 Domina est caelestium, terrestrium, & infernorum; Domina inquam Angelorum,
 Domina hominum, Domina in caelo, Domina in mundo, Domina in inferno.
Arnold. Carnotens. serm. de laud. Mariæ. Maria lingua Syriacâ Domina dicitur:
 Christus Dominus, Maria Domina. Et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam,
 hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligitur: constituta quippè
 est super omnem creaturam: & quicumque Jesu curvat genu, Matri quoq; pro-
 nus supplicat, & acclivis, in supernis & inferis admirationi est Virgo puerpera:
 stupent daemones, gaudent homines in caelo, gloriam concinunt principatus, &
 potestates. *Et paulo post.* Nec à potentia vel dominatione Filij Mater potest esse
 sejuncta.

Enumerat servos Virginis *Bernardus. tom. 1. serm. 61. 4. 1. cap. 6.* Tot creaturæ
 serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati. Omnes nempe crea-
 turæ quæcunque gradum tenent in creatis, sive spirituales ut Angeli, sive ratio-
 nales ut homines, sive corporales ut corpora caelestia, & elementa, & omnia quæ
 sunt in caelo, & in terra, sive damnati, sive beati, quæ omnia sunt Divino imperio
 subjugata, gloriosæ Virgini sunt subjecta: ille enim qui Filius Dei est, & Virginis
 benedictæ, volens, ut sic dicam, Paterno principatui quodammodo principatum
 æquiparare Maternum, ipse qui Deus erat Matri famulabatur in terra. Unde
Lucæ 2. scriptum est de Virg. & glorioso Joseph: *Et erat subditus illi. Et cap. 7.*
 Lege successionsis & hæreditario jure, totius universi debetur B. Virgini primatus
 & regnum; quamvis autem benedicta Virgo fuerit nobilior persona, quæ fuerit,
 vel futura sit in orbe terrarum, tantæque perfectionis, quod etiam si non fuisset
 Mater Dei, non minùs debuisset esse Domina mundi: tamen secundum leges
 quibus regitur mundus, jure hæreditario omnem hujus mundi meruit princi-
 patum & regnum: quia Filius ejus in primo instanti suæ Conceptionis monar-
 chiam

etiam totius promeruit, & obtinuit universi, sicut Propheta testatur dicens *Pall. Domini est terra, & plenitudo ejus &c.* Ex jure ergo Conceptionis Filij Dei Virgo incumbat totum illud procurare, & administrare, quod ex tunc Filio datum est usque ad legitimam ætatem Filij sui, sicut ipsius diligens Nutrix, & Auclera, & cundum quod volunt jura: & paucis interjectis ostendit illius jus successione ratione mortis filialis, cui nemo erat vicinior qui succederet, & tandem concludit. Ex his omnibus apertissime claret, quod Mater Iesu Christi Maria, hæretario jure omnium quæ sunt infra Deum habet Regale dominium, & inclinat obtinet principatum. Insinuavit in his magnus hic cultor Virginis titulos non Virginei dominij, sed adhuc suggerit titulum qui sequitur *s. Epiph. de laud. Virg. Donorum antenuptialium nomine Spiritum S. accepit, dotis verò gratia cœcum paradiso;* & ulterius *Her. 87. Si Christus est Rex, profectò Mater ejus & Regina.* Quocirca *Germ. orat. de oblat. Deip.* ita illam affatur. Ades dum Domini omnium terrigenarum, & erubescant, & deficiant, & pereant, & cognoscant quod nomen est tibi Domina, quod adhuc vivens teste *Anselmo de excell. Virg. cap. 7.* habebat Virgo decurso labentis vitæ tempore, se in latitudinem Regni cœlestis ascensuram, leque post Filium omni creaturæ cœlestium, terrestrium, & infernarum dominaturam. Invocemus hanc Dominam nostram *cum Ecclesia Græca in Men. 16. August.* & civitatem seu Remp. nostram ei consecremus. Urbs omnium civitatum, imperij Regina (de sua Constantinopoli loquitur,) quæ te Reginâ, ac Dominâ suâ velut turrito quodam Propugnaculo utitur, impetus omnes barbarorum prosligat, etiam bestiarum furoribus pares, adversariorum quoque omnes machinas evadit, & opibus demùm, atque potentiâ crescit ô Deipara! in te quæpè gloriamur, in te quoque evitamus quidquid nobis asperum imminet, tuæ tandem tutelæ confisi, nullorum hostium expeditionem timemus: quocirca civitatem hanc tuam, (ô apud Deum singulariter gratiosa) ut revera tibi sacratam, quocumque discrimine sive ruina conservare incolumem perge, unaque gregem tuum in unanimitate semper pace confirma.

5. Quia ad sui cultum homines obligavit.

Oritur id quidem sufficienter ex eo, quod sit Domina nostra: sed & præteritur *Ecclesia Græca per s. Sabbam in Men. 5. Jan. ode 9.* Illam, ait, benedictam nos mulieres ex debito in hymnis magnificamus, quicunque de fidelium numero sumus. Agnoscit hoc debitum & *Bernard. serm. de ejus Nativit.* & fontem ejus ostendit.